

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

IV. An omnes primæ qualitates, & omnes actiones sint modi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

puncto quidquam exoticum admittimus: si enim bene admittant Adversarii educationem esse ultimam determinationem in duplici genere fieri & uniendi seipsa; quidni bene admittam e converso unionem esse ultimam determinationem in simili duplici genere, uniendi, verbi causa, & fieri seipsa, quandoquidem ab his ad cæteras formas nulla sit sequela, ut statim ostendimus.

xx. Instabis: hæc solutio nititur falso supposito, verbi causa, modum debere esse duorum extremorum realiter distinctorum unionem, cum sufficiat illum esse suiipsius unionem, ergo, &c.

xxi. Respondeo negando assumptum; quia, si ad esse modum sufficeret esse suiipsius unionem, omnes formæ substantiales, quæ unirentur seipsis, & omnes effectus, qui fierent sine actione agente & effectu realiter distincta (cum velis omnes actiones esse modos) essent modi; quis autem dicit formas substantiales, Filium in Divinis respectu Patris, & Spiritum sanctum respectu utriusque, esse modos? quod inde sequitur: modus enim supponit entitatem, tam imperfectam & debilem, (in quo à re aliquousque distinguitur) ut etiam divinitus separatim ab eo, quod semel modificavit, realiter existere non possit, quod optimè intelligitur convenire duorum realiter distinctorum unioni; non verò cuilibet enti suiipsius unioni.

xxii. Dices 2º. si modorum uniri sit ipsorum fieri & uniri, ergo datur actio ad actionem: consequentia est contra Divum Thomam in 1º distinctione 3ª. ubi dicit non posse dari modum ad modum; quod etiam ulterius probatur, quia creatio, quæ secundum nos, est res, debet uniri unione realiter à se distincta, quæ cum secundum nos sit suiipsius educio, datur educio ad creationem, ac proinde actio ad actionem.

xxiii. Respondeo distinguendo consequens, ergo datur actio ad actionem ejusdem rationis, & secundum idem genus determinationis, quomodo dicit S. Thomas non posse dari modum ad modum, quia videlicet inde sequeretur processus in infinitum, nego consequentiam: datur actio ad actionem diversæ rationis, & secundum diversum genus determinationis, nego consequentiam: non enim dabitur creatio, sive actio ut creativa, ad creationem, sed educio ut unio, similis unioni animæ rationalis ad corpus, sive actio ut unitiva ad creationem sic ut non sit termini educio, sed suiipsius & termini unio, & simul suiipsius educio, nullius tamen termini realiter à se distincti, ut postea ex professo probatur: illa enim educio ut unio haud minùs ad creationem agnosci debet, quàm ad cæteras formas non modos, sive non uniones duorum extremorum realiter distinctorum; dari autem posse actionem diversæ rationis, & secundum diversum genus determinationis, patet.

QUÆSTIVNCULA IV.

An omnes primæ qualitates, & omnes actiones sint modi.

xxiv. Respondent communiter Authores primas qualitates non esse modos, quia, inquiunt, ex eo quòd 1ª. qualitates res sint, non sequitur processus in infinitum, sicut sequeretur ex eo quòd actiones non essent modi.

xxv. Sed contrà est, quòd priùs probandum sit aliquid esse, vel non esse modum, quàm

dari, vel non dari processum in infinitum in his entibus; siquidem hoc est postèrius; illud priùs; id autem non probabunt, nisi recurrendo ad nostram modi definitionem: deinde etiamsi actio non sit suiipsius unio, non sequitur processus in infinitum, quia actio unius generis v.g. creatio, poterit uniri per unionem realiter à se distinctam, quæ sit suiipsius educio, sicut actio secundum illos est suiipsius unio; in illa autem unionem suiipsius actione sistetur, ut patet: denique nequidem ex eo, quòd unio non esse non possit suiipsius unio, nisi cum processu in infinitum, sequitur esse modum; sed tantum non posse habere per aliquid realiter à se distinctum, quod dat alteri formaliter; alioqui omnes formæ essent modi; quia sicut ex unionem unionis realiter distincta sequitur processus in infinitum, ita ex anima animæ, albedine albedinis, &c. realiter distincta, sequitur processus in infinitum, ergo à fortiori ex eo, quòd actio non esse non posset suiipsius unio sine unionem realiter à se distincta, nisi cum processu in infinitum, non sequeretur esse modum. Contra hæc tamen

xxvi. Dices ex P. Oviedo in Metaphysica Cont. 4. cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest; neque aliqua danda est absque positiva ratione, sine qua sufficienter possit explicari; sed actiones (quia ibi agit de subsistentia, à qua ad actiones potior est consequentia) sufficienter explicantur cum distinctione modali, neque positivo aliquo argumento cogimur asserere posse à suis fundamentis separari, & illarum aliquam à proprio subiecto distingui, ut rem à re, ergo dicendum non est ita distingui, sed tantum ut modum à re.

xxvii. Confirmabis ex eodem: imperfectio actionum nonnullam præbet conjecturam ad affirmandum modos esse, & non res, ergo, &c.

xxviii. Respondeo 1º. retorquendo argumentum; sicut enim dicitur cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest, propter hoc axioma, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quia aliam rationem non video; dicā ego è contra, cuicumque enti danda est major distinctio, quæ dari potest, propter hoc axioma, non sunt alliganda entia essentialiter determinatis principiis, vel subiectis sine necessitate: ex utroque enim sequuntur æquæ magna absurda; ac in primis ex multiplicatione entium, &c. sequitur actionem fieri per actionem realiter distinctam; unionem uniri per unionem realiter distinctam; albedinem esse albam ut quo per albedinem realiter distinctam, & hanc per aliam, & sic in infinitum: ex alligatione verò entium, &c. sequitur omnes formas substantiales, & Physicas accidentales, uniri seipsis, ac proinde esse modos juxta Adversariorum modi definitionem; item etiam sequitur omnes illas formas, & cæteras creaturas fieri seipsis; quæ non sunt minùs absurda.

xxix. Respondeo 2º. in forma admittā majorem negando minorem: quia, cum non sint duorum realiter distinctorum unio, cum distinctione modali non sufficienter explicantur, & positivum argumentum, quo cogimur asserere cum distinctione modali non sufficienter explicari, est, quòd sola unio duorum realiter distinctorum cum distinctione modali sufficienter explicetur; actiones autem, præsentia, subsistentia, &c. non sunt unio duorum, &c.

xxx. Ad Confirmationem Respondeo me non videre quænam sit major imperfectio actionum substant-

Substantiarum productivarum, & unionum earundem unitivarum, quam quantitatis, quam Adversarii, etiam ipse Pater Oviedus, communiter faciunt rem. Vnde fit

RESOLUTIO.

xxxI. **D**ico: primæ qualitates non sunt modi; & pleræque actiones non magis sunt modi, quam primæ qualitates.

Prima pars est omnium communiter.

xxxII. Probatur 2^a. pars, quia variæ actiones, ut creationes animarum rationalium, actus vitales, &c. non sunt duorum extremorum realiter distinctorum unio; ergo, &c.

xxxIII. Obijcies contra primam partem Resolutionis: accidentia omnia, & formæ omnes substantiales sunt determinato subiecto essentialiter affixæ, haud secus, quam earum uniones; ut quid enim uniones illas sine necessitate multiplicare? ergo, &c. ita ferè P. Comptonus Physicæ Disputatione 14^a. post quosdam ingeniosos Recentiores, quorum sententia, inquit, omnium minime displicet, & meo iudicio propius abest à veritate.

xxxIV. Respondeo Principium illud uniones five entia non sunt sine necessitate multiplicanda, satis infirmari per hoc illi oppositum, entia non sunt determinatis subiectis essentialiter alliganda sine necessitate & positivo fundamento, quod hic non datur: vel etiam, non sunt multiplicande perfectiones sine necessitate, quod fieret dando formis perfectionem uniendi seipsas; imò non satis apparet, quomodo ster animæ rationalis immortalitas cum morte hominis, si omnes formæ essentialiter determinato subiecto alligentur; unde si anima rationalis uniri debeat per unionem realiter à se distinctam, quidni & aliæ quamplurimæ formæ accidentales & substantiales? de unione autem alia est ratio, quia, utpote duorum extremorum unio, est modus. Denique sic consequenter ad vitandam multiplicationem actionum, oporteret quemlibet effectum, causæ determinatæ essentialiter alligare, quod non ita conveniens videtur, cum inde sequatur Deum nullum ens per se posse, aut potuisse producere, eorum, quæ cum causis secundis producit: neque id in ipsas actiones retorqueri potest; quia, vel sunt generationes, five formarum eductiones, vel non? si primum, sunt modi, five uniones, ut statim dicitur; illæ autem fiunt seipsis, ut supra vidimus: si secundum, à Deo solo sunt in conservari, vel potius, sic conservantur, ut pereuntibus causis creatis, Deo solo causâ conservante existente, conserventur, ut infra dicitur.

D V B I V M I.

An & quomodo unio distinguatur ab extremis.

xxxv. **A**nte Resolutionem

Suppono 1^o. ad compositum requiri unionem; quia multa non possunt fieri unum aliter, quam per unionem mediam, ut per se patet.

xxxvi. Suppono 2^o. Dubium procedere de unione inter materiam & formam substantialem, five spiritualementem, five materialem, circa quam tanta est controversia, ut Pater Comptonus hic dicat, nulla ergo in te, in his octo libris, est, vel major sen-

tentiarum diversitas, vel acrior disceptatio, et mirum sit unionem tantum peperisse discordia.

RESOLUTIO I.

xxxvII. **D**ico 1^o. videtur omnino certum unionem realiter distinguui ab extremis nudè sumptis: puto hanc esse ferè omnium, paucis è Recentioribus exceptis.

xxxvIII. Probatur, quæ realiter separantur ab extremis, realiter distinguuntur ab illis; sed unio est talis, ergo, &c. major patet: minor probatur in homine; quia quando homo mortuus est, sunt ejus partes, five corpus & anima, nec tamen est unio inter illa; alioqui esset homo vivens, cum ad hominem viventem nihil præter corpus, animam & unionem requiratur, ergo, &c.

xxxIX. Confirmatur, si unio non distinguere- tur realiter ab extremis nudè sumptis, non possent existere corpus & anima, quin dicerentur, & essent unita: atqui hoc est falsum, ut patet, casu quo corpus Mechinæ ponatur, & anima Romæ, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

xl. **D**ico 2^o. unio non est sola relatio animæ ad formam.

xlI. Probatur, quia vel esset relatio fundamentalis indistincta realiter ab extremis? & hoc non, ut patet ex prima Resolutione: vel realiter distincta ab illis, & consistens in actione? & de illa dubio sequenti agemus: vel relatio formalis? & hoc etiam non, quia, ut constat ex dictis in Logica, illa est omnino extrinseca extremis, illisque non existentibus existens, utpote conceptus; unio verò esse debet illis intrinseca, nec etiam Divinitus, illis non existentibus, existere potest, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xlII. **D**ico 3^o. unio non est sola existentia utriusque extremi cum connotato indistantiæ, five summæ præsentia localis & dispositionum, ita PP. nostri Complutenses hic Disp. 6. q. 2. post alios Recentiores contra Ochamum in 1^{um} dist. 30. q. 1. Gregor. in 1^{um} dist. 28. q. 2^a. Aureolum in 4. dist. 44. & alios Nominales communiter, quos sequi videntur, Cajet. 3. p. q. 2. art. 2^o. Medina, Fonseca, Valentia, Conimb. &c.

xlIII. Probatur 1^o. de indistantia, quia si sufficeret indistantia, five summa præsentia, anima Christi penetrans corpus Divæ Virginis, materiam sepulchri, januas clausas, &c. fuisset eis substantia- liter unita, imò & divinitas ac tota Sanctissima Trinitas esset unita, & assumpsisset omnes totius mundi creaturas, haud minus quam humanitatem, quod nemo dixerit, ergo, &c.

xlIV. Nec dicas, ad hoc ut anima Christi illis uniatur requiri insuper absentiam alterius formæ substantialis; nam sic, saltem pervadens quodlibet cadaver naturaliter, vel miraculosè, sine forma substantiali conservatum, fuisset ei unita, sicut illud ita conservatum, naturaliter pervadere potuit, quod est tam absurdum ac sit resurrectio naturalis, quæ inde sequeretur.

xlV. Confirmatur, vel illa indistantia est formalis unio, vel conditio ad hoc ut materia & forma uniantur seipsis? non primum, quia alioqui, qui hominem moveret, produceret & corrumpere- t hominem, sicut produceret & corrumpere- ter